AD

# QVATVOR ALVMNORVM ORATIONES

IN

ILLVSTRI MOLDANO

D. XI. APRILIS

AVDIENDAS

INVITAT

M. AVGVSTVS WEICHERT.

LECTIONVM VENVSINARVM

PARTICVLA I.

GRIMAE
EX OFFICINA REIMERIA.
1832.

Cum nuper a tribus disciplinae nostrae Alumnis, ornatissimis optimaeque spei juvenibus rogatus essem, ut, data sibi publice, quod dicitur, Scholae magistrisque valedicendi potestate, ejus diei sollemnitatem more apud nos recepto indicerem; tanto minus committendum esse putavi, ut eorum precibus honestaeque laudis cupiditati defuisse viderer, quo magis mihi semper liberali omnis virtutis bonarumque artium amore probati fuerunt. Cogitanti autem mihi de argumento, quod huic scriptioni subjicerem, non alienum visum est de controverso quodam loco Satirarum Horatianarum, quas discipulis per hujus semestris scholas interpretatus sum, copiosius disserere. Qua quidem ratione me effecturum esse spero, ut uberior haec et doctior, quam quae in scholis institui possit, loci per se gravis lectuque jucundi enarratio cum omnibus, quos auditores habebam, fructuosior reddatur, tum etiam juvenibus illis, ex nostro discedentibus contubernio, haud ingratum sit maneatque Lectionum Venusinarum mearum μνημόσυνον. Atque haec una fere esse potest hujus libelli in summa temporis brevitate exarati vel laus vel utilitas!

Pulcherrimis Horatii carminibus dubitari nequit quin Libri I. Satira tertia adnumeranda sit: in qua ille ab Hermogene Tigellio Sardo, obtrectatore suo nuper mortuo, cujus levitatem et mirabilem in dictis factisque inconstantiam vividis coloribus describit, festiva irrisione exorsus ad pessimam istam et maxime vulgarem ho-

minum consuetudinem transit, qua aliorum vitia vel levissima fastidiosius notent, in suis autem eisque gravissimis conniveant. Et, allato exemplo Maenii, qui non dixerat respicere ignoto pendentia tergo, pergit v. 24.:

*Stultus et improbus hic amor est dignusque notari.*
*Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,*
*Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,*
*Quam aut aquila aut serpens Epidaurius? At tibi contra*
*Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi.*
*Iracundior est paullo: minus aptus acutis*
*Naribus horum hominum; rideri possit eo quod*
*Rusticius tonso toga defluit, et male laxus*
*In pede calceus haeret. At est bonus, ut melior vir*
*Non alius quisquam; at tibi amicus; at ingenium ingens*
*Inculto latet hoc sub corpore.*

Priusquam de huius loci sententia ac consilio explicatius a me dicatur, de singulis verbis necesse est praemittantur ea quae in rem faciunt, partim a me partim ab aliis observata. Et primum quidem in Vers. 25. et emendando et explicando unice probandam censeo Jahnii rationem, quam etiam Kirchnerus bene expressit:

*Wenn du das eigene Schlecht triefäugig, die Wimpern bebalsamt,*
*Musterst, warum denn blickst du so scharf in den Mängeln der Freunde,*
*Gleich wie Adler und gleich Epidaurischen Schlangen?*

Nam *mala* h. l. opponuntur vitiis, ut in notissima illa fabula Phaedri Libr. IV. 10.:

*Peras imposuit Jupiter nobis duas:*
*Propriis repletam vitiis post tergum dedit,*
*Alienis ante pectus suspendit gravem.*
*Hac re videre nostra mala non possumus;*
*Alii simul delinquunt, censores sumus.*

Caeterum verba pariter ac sententiam Horatii illustrat locus Ciceronis de Offic. Libr. I. c. 41.: „*Fit enim, nescio quomodo, ut magis in aliis cernamus, quam in nobismetipsis, si quid delinquitur.*“ Horatius enim a vers. 29. sqq., quos etiam meliore interductu dilucidare studuimus, speciatim carpit fastidiosam irrisionem eorum, qui, si quid observant in aliorum cultu habituque, quod dedeceat, id statim in-

sectantur et subsannant. Jam vero rem exemplo aliquo illustraturus, amicus, inquit, paullo iracundior est: ubi *iracundus* non tam cupidus est puniendi doloris, *zornmüthig*, quam irritabilis, *ὀργίλος*, *reizbar*, *empfindlich*. Inde aliquoties cum vv. *morosus*, *difficilis*, *stomachosus* conjungitur: vid. Cicer. d. Orat. Libr. I. c. 51., de Senect. c. 18., Brut. c. 70. Quoniam igitur facile irritari potest ille, a Poeta dicitur esse *minus aptus acutis naribus horum hominum:* quae verba mirabile dictu quantopere calumniatus sit Bentlejus. Non vacat singula Viri eximii ludibria dicam an commenta, hic excutere. Acron Scholiastes refert, esse, qui illa verba sic exponant: „*Habet aliqua vitia* sc. amicus, *ita ut iracundior sit*, *ne possit deridentium urbanitatem*, *quae tunc maxime exercetur*, *sustinere*: *praestat etiam de se ridendi materiam*, *quod rusticius tonsus sit*" etc. Recte: nam naribus labrisque derisum, contemptum et fastidium significari solere, auctor est Quintilianus Inst. Or. Libr. XI. c. 3. §. 80. Nares appellantur h. l. *acutae*, quo magis istorum hominum acumen indagandi notandique aliorum in cultu vestituque negligentiam indicetur. Sunt enim *nares acutae* i. q. emunctae, sagaciter odorantes: inde ab Horatio Libr. I. Sat. 4. v. 8. Lucilius *emunctae naris* fuisse dicitur, utqui acute observaret hominum mores eosque in Satiris vere exprimeret. Eis opponuntur *obesae nares*, quae translate dicuntur Epod. XII. v. 3. ibiq. v. Mitscherlich. T. II. p. 579. sq. Haec translatio fluxit ex imitatione Graecorum, quibus *κόρυζα*, *μύξα*, *βλέννα*, *λέμφος* stuporis indicia sunt, notante Ruhnkenio ad Timaei Lexic. p. 165. His igitur verbis lepide depingitur *μυκτηρισμὸς* eorum hominum, qui, si quid indecori et rustici in aliquo homine ejusque vestitu est, id odorantur, acute observant et urbane derident. Ejusmodi hominibus utique minus aptus est is, qui paullo iracundior non patienter fert istiusmodi fastidium et derisum. Quam quidem verborum illorum interpretationem egregie confirmant, ut jam Acron vidit, ea, quae sequuntur. Habet utique, pergit Poeta v. 30., paullo iracundior ille amicus, quo acutas hominum nares offendat et ridendi ludificandique materiam praebeat: est enim *rusticius tonsus* h. e. ab inaequali curatus tonsore, qui imperite capillos totonderat. Romanos autem tonsurae magnam curam impendisse, docuit Boettigerus in *Sabina* p. 330. sqq. Porro illi amico *toga defluit* h. e. parum apte composita est. Apud Graecos ad *εὐσχημοσύνην* inprimis pertinebat *τὸ ἐπιδέξια ἀναβάλλεσθαι* et *ἐπ' ἀριστερὰ ἀναβάλλεσθαι ἱμάτιον*, uti, post Casaubonum ad Theophrasti Char. IV. p. 50. sq., pulchre ostendit Boettigerus in *Griech.*

*Vasengem.* I. 2. p. 54. sq. et in *Sabina* p. 398. Notatu dignus est locus Athenaei Libr. I. c. 38. p. 21. C. et Tom. I. p. 78. Schw. *ἔμελε δὲ αὐτοῖς καὶ τοῦ κοσμίως ἀναλαμβάνειν τὴν ἐσθῆτα· καὶ τοὺς μὴ τοῦτο ποιοῦντας ἔσκωπτον:* in quo pariter atque apud Poetam Venusinum acutis homines naribus commemoratos invenimus, qui alios decoris in amictu negligentes irrisui haberent. Non minus Romani in superinjicienda toga eaque componenda diligentissimi erant, inprimis oratores, teste Quintiliano Inst. Or. Libr. XI. c. 3. §. 137. sqq., eoque nomine Q. Hortensium nobilitatum fuisse, tradit Macrobius Saturn. Libr. II. c. 9. p. 380. Z. cl. Gierig. ad Plinii Libr. II. Epist. 3. §. 2. Denique ille amicus, ait Horatius, decori indiligens etiam in eo est, quod ei *calceus laxus in pede male haeret* sive quod ei pes vagus in laxa pelle natat, ut mea faciam verba Ovidii A. A. v. 516., quocum apposite comparatur locus Aristophanis Equitt. v. 321. D. *πρὶν γὰρ εἶναι Περγασῆσιν, ἔνεον ἐν ταῖς ἐμβάσιν.* Atqui apud veteres indicium *ἀγροικίας* fuisse *μείζω τοῦ ποδὸς τὰ ὑποδήματα φορεῖν,* attestatur Theophrastus Char. IV. ibiq. Casaubonus p. 49. Concedit igitur Horatius, tria in illo amico esse, quae rideri possint, secutus ea in re communem Romanorum sensum et morem: nam quod Quintilianus de oratore scribit, et togam, et calceum, et capillum, tam nimia cura, quam negligentia, reprehendenda esse, id dubitari non potest quin in honestissimo quoque viro observatum fuerit.

Proposita hac hominis indecori et subrustici imagine, Horatius sic argumentatur: quamquam unus ex amicis ita, ut dixi, negligens est *τοῦ εὐσχημονεῖν,* et eam ob causam in bellorum quorundum hominum reprehensionem urbanamque cavillationem incurrit; tamen, praesertim si haec externa vitia internis compensat bonis, non est quod in ejusmodi minutiis levibusque vitiis acutius cernas et cum risu offendaris. Est autem ille, qui tibi propter cultus vestitusque incuriam displicet risumque praebet, vir si quis alius *bonus*, et tibi *amicus* et *ingenium ingens sub hoc corpore inculto latet.* Ergo ignosces levibus ejus vitiis, neque offensus indecenti, quo in publicum prodire solet amictu, irrisione eum et cavillatione laedes, sed potius temetipsum excuties v. 35.,

— — — *num qua tibi vitiorum inseverit olim*
*Natura, aut etiam consuetudo mala.*

Scripta haec esse in istius aetatis homines *φιλοκαλλωπιστὰς*, in aprico est. Atque ego, omnibus rerum momentis cum cura pensitatis, sine ulla dubitatione paene

affirmaverim, Horatii haec scribentis animo obversatum esse Maecenatem, diligentissimum externi in amicis habitus observatorem et castigatorem perurbanum. Quid enim? Nonne ille civitatis princeps, ipse nimio cultu diffluens eoque nomine tum famosus, multis annis post, quam haec scripta sunt, Poetam Venusinum, suum jam familiarem et convictorem, item tamen in comendo capite incuriosum et εὐσχημοσύνης istius negligentiorem ridere solebat? Ejus rei testem habemus ipsum Horatium in Libri I. Epistola prima ad Maecenatem v. 94.:

> *Si curatus inaequali tonsore capillos*
> *Occurro, rides: si forte subucula pexae*
> *Trita subest tunicae, vel si toga dissidet impar,*
> *Rides;*

ad quem locum de vita moribusque Maecenatis ejusque cum Horatio necessitudine docte et perquam scite disseruit Obbarius in: *Des Q. Horatius Flaccus erster Brief des ersten Buches* (*Rudolst.* 1822.) p. 80. sq. Atque huic conjecturae meae tantum abest ut tempus rerumque ordo repugnent, eam ut eximie stabiliant. Tametsi enim Horatius eo, quo Satiram tertiam composuit, tempore Maecenatis familiaribus nondum adscriptus erat, tamen per Virgilium et Varium scire poterat, quae esset patroni istius vita domestica, qui convictus et qui familiarium ejus mores. Inter hos autem Maecenatis convictores quis veri dissimile esse dicat fuisse homines, qui, suum patronum, τὸν φιλοκαλλωπιστὴν, imitantes, si quem ex suo grege parum diligentem in cultu vestituque animadverterant, eum vel urbane vel salse dictis vellicarent et ludificarentur? Ipse igitur Maecenas ejusque convictores, in quibus Sarmentum quoque scurram fuisse novimus ex Libri I. Sat. 5. v. 52. sqq., sunt isti acutis naribus homines, quos Horatio hic ob oculos versatos esse arbitror. Sed longius conjectando progredior. Sicut isti homines non inventi excogitatique sunt Poetae ingenio, sed ex rerum natura sumpti et in scenam producti, ita illum quoque hominem, quem iracundiorem ideoque minus aptum acutis istorum naribus esse dicit, confictum et exempli loco propositum esse nego. Fuit haud dubie unus ex Maecenatis convictoribus, qui, cum soluti sui cultus insectationes ludificationesque ferre nollet, apud istos iracundior audiebat et hominum bellorum congressibus minus aptus censebatur. Sed idem fuerit necesse est etiam ex eis, quibuscum familiaritate, amicitia et offi-

ciorum necessitudine ipse Horatius conjunctus erat, alioquin omne fere totius loci acumen perit ac virtus.

Haec si quis sine cupiditate secum reputaverit, minus, credo, dubitabit fidem habere Scholiastis, qui hominis, quem hic Horatius depingit, imaginem ad *P. Virgilium Maronem* referunt. Nam Acron ad v. 31.: „*Hic dicitur pulsare Virgilium, qui indecori et corporis et habitus fuit.*" Ibidem Scholiastes Cruq.: „*de Virgilio hoc dictum esse volunt, quod flueret* (ita leg. pro *fluebat*,) *semper ejus toga, non bene composita, et uteretur imperito tonsore.*" Idem ad v. 33.: „*Iterum haec ad Virgilium referuntur, qui habitus erat incompositi: haec autem* (sc. animi candor et ingenium ingens) *in inculto corpore celantur, quia non facile putat aliquis, eum esse aut bonum aut sapientem, qui male vestitur.*" Haec recte jam Heindorfius negat ex vano hausta esse, et procul dubio plures alii exstitissent ejus sententiae fautores, si persuadere sibi potuissent, Horatium tam durum atque inhumanum fuisse, ut amicissimo suo Virgilio publice illuderet. Quibus scrupulum istum ac dubitationem utique vereor ut eximam illis verbis, quae aperte de se intellecta esse voluit Horatius Libr. I. Sat. 4. v. 34. sq.:

*Foenum habet in cornu, longe fuge: dummodo risum*
*Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico.*

At, melius perspecta illius loci ratione, non difficile erit intellectu, Horatium praeclare ibi consuluisse amici sui rebus atque existimationi. Inepte enim Acron usus est *pulsandi* verbo, quod multis fraudi fuisse credo. Id igitur agamus, ut antiquitatis vestigia quamvis tenuia persecuti Scholiastarum fidem idoneis argumentis adstruamus, eique quantam possumus maximam probabilitatis commendationem conciliemus. Ea enim sola in tanta testium paucitate et quaeri potest et exspectari.

Jam primum Donatus in Vit. Virgilii c. V. §. 19. „*Corpore*, inquit, *et statura fuit grandi, aquilo colore, facie rusticana, valetudine varia.*" Etsi nihil quidem hic de cultu ac vestitu Virgilii commemoratum legimus, tamen Horatii Scholiastis haud exiguum inde accedit praesidium. Nam cum ille rure esset oriundus parentemque haberet agricolam, non mirum est, si rusticitatis quaedam labes moribus ejus ac cultui adspersa haereret, eaque illo, quo Horatius haec scripsit, tempore nondum detersa esset politissimi Maecenatis ejusque sodalium consuetudine ac convictu, quo nuperrime demum frui coeperat. Horatius enim hanc Satiram composuit per hiemem

anni U. C. $7\frac{14}{18}$.; Virgilium autem non ante annum U. C. 714. in Maecenatis familiaritatem venisse, peracute observavit Jahnius in Introduct. in Virgil. p. XV. Adde, Virgilium non magna, sed, ut Donatus ait, grandi fuisse statura. Quid igitur verisimilius, quam in omni ejus gestu et habitu et fuisse et fortasse per totam vitam mansisse ruris quaedam vestigia? Ad hanc corporis vasti atque inhabilis molem accessit facies rusticana et sole perusta aquilum referens colorem. Haec rusticae originis vitaeque indicia quid obstat quo minus suspicemur offendisse acutas nares Maecenatis ejusque convictorum? Quid magis est credibile, quam bellos istos ac dicaces homines cum hoc ruris Andini longurione varios agitasse jocos, et cultui ejus in summa, quae ingenti ejus ingenio tribueretur, admiratione nonnumquam illusisse? Neque tamen dixerim, Poetam Mantuanum rus oluisse. Putide enim, ne quid gravius dicam, Gesnerus h. l. respici ab Horatio putat ad illuviem aliquam corporis et foetorem, quem ferre non possint acutae nares! Quis non videt, *incultum corpus*, sub quo ingens ingenium lateat, ex mente Horatii non esse corpus situ, squalore et sordibus oppletum, sed toga parum composita indutum atque inhabile? Et quod Heynius ad Donatum l. c. refert, Virgilium facie subrustica exhiberi inter signa Palatii Capitolini ap. Dom. de Rubeis (Rossi *Raccolta di Statue antiche* n. XXII.); id minoris hac in caussa ponderis esse puto, quandoquidem de hujusmodi signis imaginibusque quidquam explorata certaque cum fide tradi nequit, uti etiam monitum est ab *Enn. Quir. Viscontio* in *Iconografia Romana. Milano* 1819. Vol. II. p. 376. Idem Tab. XIII. dedit Virgilii imaginem, quae juvenem repraesentat vultu placido et satis venusto, oculis parvis prominentibusque, sedentem et utraque manu tenentem pugillares indutumque pallio et crepidis. Inde autem de genuina ejus forma habituque nihil colligi potest, et jure etiam addubitat *Visconti* l. c. p. 375. N. 1., num recte Grammatici veteres ex eo, quod vulgo *Parthenias* dictus est Maro, de virginali faciei ejus venustate conjecturam fecerint. Neque huc vocari potest P. Papinius Statius, quod scripsit Sylv. Libr. V. Carm. 3. v. 63. ad patrem suum:

*Meque habitus moresque tuos et facta canentem*
*Fors et magniloquo non posthabuisset Homero,*
*Tenderet et torvo pietas aequare Maroni.*

Quo in loco fuerunt qui v. *torvus* referrent ad Virgilii faciem subrusticam, quam putabant apud aequales posterosque fuisse famigeratam. Alii aliam tentarunt verbi

illius interpretationem, ut refert C. Barthius in Animadvers. Vol. I. p. 496. — Marklandus, vir ingeniose audax, „*Quare autem*, inquit, *appellatur* torvus *Maro*, *cui molle atque facetum adnuerunt Musae? Ego potius putarem* docto *Maroni.*" At cuivis correctioni Codicum in vulg. lectione consensus aeque repugnat ac *torvi vultus* Maroni h. l. obstat *magniloquus* Homerus: unde discimus, de quavis alia re cogitari posse quam de corporis vultusque forma. Qui Statii affectatum crispulumque scribendi genus bene noverit, is lubenter amplectetur vel Heynii rationem capientis v. *torvus* de severiore carminis argumento, vel cum Forcellinio de vate grandiloquo explicabit. Seriori enim aetate illud vocabulum in bonam partem usurpari coeptum est. Sic Claudianus de IV. Cons. Honor. v. 518. *quam torva voluptas Frontis et augusti majestas grata pudoris:* ibiq. v. Gesnerus. Quamvis igitur testis, qui Donato suffragetur, aliunde produci nequeat, tamen non facile cuiquam credibile videbitur, quod Heynii suspicax ingenium projecit, omnem Horatiani loci de Virgilio interpretationem conflatam esse ex Donati istis sublestae fidei verbis. At res ipsa ita comparata est, ut fidem mereatur, cum Virgilius rure natus rusticique filius fuerit. In rustici autem filium cadit inaequalis tonsura, toga fluxa et calceus laxus. Et quod Scholiastae in medium proferunt, id vix dubitari potest quin fontem habeat librum *de Personis Horatianis*, de quo dixi in Comment. *de Iarbita Timagenis Aemulatore* §. 1. N. 1. p. 391. Sed erunt fortasse, qui ideo negent apud Horatium de Virgilio cogitari posse, quod minus aptus dicatur esse ad congressus hominum, quoniam iracundior sit. Hoc autem vitium quam alienum fuerit a Marone, testis esse perhibetur Donatus, qui c. XVII. §. 65., auctore Asconio Pediano, tradit, illum „*benignum, cultoremque omnium bonorum atque eruditorum fuisse, et usque adeo invidiae expertem, ut, si quid erudite dictum inspiceret alterius, non minus gauderet, ac si suum fuisset; neminem vituperare, laudare bonos; ea humanitate esse, ut, nisi perversus maxime, quisque illum non diligeret modo, sed amaret.*" Verum enim vero haec minime inter se repugnant. Nam poterat, si quid sentio, talis, qualem modo descriptum legimus, esse Virgilius, et tamen paullo iracundior dici haberique, utqui dicacium istorum hominum ludificationes stomachoso animo vultuque submoroso acciperet et nonnumquam sui doloris existeret punitor. Et quo magis suarum sibi conscius erat virtutum, eo molestius ferre debebat dicacem male feriatorum istorum hominum petulantiam. Neque a vero abhorret, Virgilium facile animo excanduisse, cum varia esset valetu-

dine et inprimis cruditate laboraret. Nam, teste Donato c. V. §. 19., „*plerumque ab stomacho et faucibus ac dolore capitis laborabat: sanguinem etiam saepius rejecit: cibi vinique minimi.*“ Ac ne quis suspicacioris homo animi haec quoque a Donato conficta esse dicat, excitabo ejus rei testem, quo certiorem ac locupletiorem reperire nequeas. Ipse Horatius in itineris Brundisini descriptione Libri I. Sat. 5. v. 48. sq. scripsit:

*Lusum it Maecenas, dormitum ego Virgiliusque:*
*Namque pila lippis inimicum et ludere crudis;*

ubi Scholiastes Cruq. „*se ait lippum, Virgilium autem crudum: laborabat enim stomachi cruditate, quod cibum ingestum difficulter concoqueret.*“ Jam, qui a cruditate laborent homines, esse solere, ut Graece dicam, ὀνοχόλους καὶ ὑποχόλους, notissimum est. Ergo non mirabimur, Virgilium, quamvis benignum omniumque bonorum et eruditorum cultorem, tamen irrisionis de suo cultu habituque nonnumquam impatientiorem fuisse. Propterea autem visus est urbanis illis φιλοκαλλωπισταῖς paullo iracundior: quo nomine eum Horatius appellat non tam suum, quam istorum hominum judicium secutus. Id cum non satis animadvertissent Viri Docti, factum esse puto, ut hunc Horatii locum de Poeta Mantuano accipere nollent. At rem ex vero si aestimaveris, tantum abesse senties, ut Virgilius h. l. derideatur, ut contra Maecenas ejusque convictores tecte perstringantur. Et si quid acerbi in eo esse credas, quod Horatius rideri posse concedat inaequalem amici tonsuram, fluxiorem amictum calceosque nimis laxos, id, si quid intelligo, Maronem non magis laedere poterat quam iste de cruditate jocus. Et vide, quam eximiis compensaverit laudibus, quidquid in his inesset vituperii! Isti cultus neglectioni opponit singulares animi ingeniique virtutes. Ille paulo iracundior amicus et ἀσχήμων est *bonus, ut melior vir non alius quisquam:* qua laude quid gravius esse poterat ac praestantius? Et, id quod magnum hac in caussa momentum habet, eamdem laudem Virgilio impertit Libr. I. Sat. 5. v. 41.:

*Plotius et Varius Sinuessae Virgiliusque*
*Occurrunt, animae, quales neque candidiores*
*Terra tulit neque quis me sit devinctior alter.*

Porro ille est, inquit, *tibi amicus:* quae laus apprime convenit Virgilio, quem scimus fuisse omnium bonorum eruditorumque cultorem, omni ingenii et doctrinae

arrogantia immunem. Denique illi tribuit *ingens ingenium*, quod et ipsum de Virgilio omni jure praedicari potuisse, nemo non intelligit.

Jam singula haec, quae recensuimus, corporis animique lineamenta ubi nulla captus opinione praejudicata contemplatus fueris, non poteris quin fateare, tibi exhiberi imaginem hominis Poetae Mantuano simillimi, in qua exprimenda Horatii pectus incaluisse ostendit orationis per anaphoram animatae vigor, quem feliciter reddidit Kirchnerus:

*Leicht zum Zorne gereizt ist der Freund: nicht ganz für die feinen*
*Nasen der heutigen Welt: zum Spott mag reizen des Haupthaar's*
*Roherer Schnitt; des Gewand's abfliessendes Hängen; des Schuhpaars*
*Lockeres Schlappern am Fuſs. Doch grundgut ist er, daſs Niemand*
*Redlicher lebt: doch ist er dir Freund: doch birgt ein gewalt'ger*
*Geist sich in dieser versäumten Gestalt.*

Singula profecto spirant eum animi candorem affectumque, quo Horatium constat per omnem vitam Virgilio suo deditum fuisse. Atqui haec ipsa animi amorisque in iracundiorem illum atque incultum amicum testificatio nobis suadet, ut hic de nullo alio quam de Poeta Mantuano cogitemus. Denique accedit Horatii in componendo hoc carmine consilium. Is quidem eo, quo haec scripsit, tempore semel tantum convenerat Maecenatem et commode quidem admissus, sed nondum receptus erat in ejus convictum ac familiaritatem: vid. Comment. II. *de L. Vario Poeta* §. 2. p. 9. Cui ut quam primum adscriberetur, vehementer optavit. Jam quo melius Maecenati, diligenti admodum et percauto in eligendis amicis homini, ostenderet, commodum se fore candidumque familiarem, hoc composuisse mihi videtur carmen, in quo, cum nemo sine vitiis nascatur et optimus ille sit, qui minimis urgetur v. 68., hanc velut summam familiaritatis convictusque jucundi regulam proponit v. 69.:

— — — — *Amicus dulcis, ut aequum est,*
*Cum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce —*
*Si modo plura mihi sunt — inclinet, amari*
*Si volet: hac lege in trutina ponetur eadem.*
*Qui; ne tuberibus propriis offendat amicum,*
*Postulat, ignoscet verrucis illius. Aequum est,*
*Peccatis veniam poscentem reddere rursus.*

Declaraturus igitur, quam justum sit et ad vitae socialis jucunditatem salubre, levibus amicorum vitiis ignoscere, praesertim plura si eis sunt bona, per mihi scitum videtur, quod persona Virgilii usus est, quo tamquam illustri exemplo suam sententiam confirmaret. In quo minime verendum ei erat, ne amico noceret. Immo sperare poterat, fore, ut eum si non commendaret, certe excusaret, apud Maecenatem, quem interdum offensum esse Poetae Mantuani subrustico cultu et morositate non temere suspicati sumus. Id autem Horatius sine dubio compertum habebat per ipsum Virgilium, quem credibile est in amici sinu deflevisse, quidquid doloris ex istorum *μυκτηριστῶν* petulantia concepisset. Caeterum Horatius, qui fuit ejus mos, a Persio Sat. I. v. 116. praeclare descriptus, Virgilii imaginem ita adumbravit et circum praecordia ejus lusit, ut, nisi qui propius eum nosset, vix quisquam intelligeret, de quo mortalium hic sermo esset.

Itaque summam si colligimus ex his, quae disseruimus, id effectum esse puto, ut jam fides Scholiastarum, illos Horatii versus ad Virgilium referentium, neutiquam rejicienda esse videatur. Certe multo potior ea habenda erit quam conjectura Bentleji, qui mirifico ingenii doctrinaeque artificio usus probare studuit, Horatium hic non tam Virgilium *χαρακτηρίζειν*, quam semetipsum. Verum, ut concedam, Poetam Venusinum fuisse irasci celerem (I. Epist. 20. v. 25.) inque cultu suo negligentem (I. Epist. I. v. 94. et 104.); tamen nego, eum tam impudentem esse potuisse, ut, etiamsi passim sui animi candorem vitaeque integritatem collaudet, in eo carmine, quo in Maecenatis favorem venire vellet, virum bonum se diceret, quo meliorem non alium quemquam terra tulisset, sibique ingenium ingens attribueret. Nam quum Libr. I. Od. 18. v. 19. *ingeni benignam venam* sibi esse ait, neminem praeterire potest, quomodo ea verba capienda sint. Opponit enim fluxis divitum rebus sui ingenii opes, eisque se contentum multo beatiorem esse significat. Neque, ut hoc addam, Horatius *incultum corpus* sibi poterat tribuere. Qui enim habet *nigros angusta fronte capillos* (I. Epist. 7. v. 25.), qui est habitu *corporis exigui* (II. Sat. 3. v. 308. cl. I. Epist. 20. v. 24.), qui se amico describit *pinguem et nitidum bene curata cute* (I. Epist. 4. v. 15.); ei hercle nequit dici *corpus* esse *incultum* h. e. vestitu et gestu rusticum. Tale corpus convenit agricolae filio, cui est statura grandis, aquilus color et facies rusticana, neutiquam ei, qui teste Suetonio in Vit. Horat. T. III. p. 51. Wf., corporis brevitate Augusto ansam dedit scribendi: „*Vereri autem mihi videris, ne majores*

*libelli tui sint, quam ipse es. Sed si tibi statura deest, corpusculum non deest.*" Denique planum est, Horatium minus consulturum suis rebus fuisse, si, quo nondum Maecenatis convictoribus adscriptus esset, tempore tam importunus exstitisset suarum virtutum jactator. Nam cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii molestissima, ut verissime ait Cicero in Divinat. in Q. Caecilium c. 11. Quare Bentleji sententiam meritò rejectam esse censeo jam a Dacerio et nuper ab Heindorfio, et vehementer miror, Bentlejo denuo adstipulatum esse Theod. Schmidium ad Horat. Libr. I. Epist. 1. v. 96. T. I. p. 45. Quae enim a Viro doctissimo ad stabiliendam istam sententiam citantur Odae Libr. II. 20. et III. 30., eae aut fallor aut cum hoc loco, ubi poeta novitius et vix aliquot cognitus Sermonibus, ingens ingenium sibi arrogat, plane comparari nequeunt. Postremum breviter commemorabo, quae refert Acron Scholiastes ad v. 31.: „*Quidam dicunt de Caesare hoc dictum esse, quod fluebat ejus semper toga, id est, non erat semper bene composita, et imperite tonsore utebatur.*" Quod quidem commentum silentio praeterissem, nisi in Jahnii Edit. Horat. p. 253. scriptum legissem: „*Spohnius* D. Julium Caesarem *respici docuit.*" Equidem exputare nequeo, quid Spohnium amicum, cujus Manes pie deveneror, adduxerit, ut veteris istius opinionis patrocinium susciperet. Non enim crediderim, eum huc retulisse *fluxiorem* Julii Caesaris *cincturam*, quam respiciens Sulla optimates admonuisse fertur, ut male praecinctum puerum caverent. Nam nihil ut dubitem, num credibile sit, Horatium jam a. U. C. 7$\frac{1}{1}\frac{3}{8}$. de Julio Caesare, libertatis publicae oppressore, cum tanto amoris admirationisque affectu scripsisse: *est bonus, ut melior non alius quis quam* etc., et ut ne urgeam, sermonem hic non de homine jam pridem mortuo, sed de vivo adhuc et praesente esse; quo tandem pacto Julius Caesar dici poterat *rusticius tonsus*, qui circa corporis curam morosior esset, ut non solum tonderetur diligenter ac raderetur, sed velleretur etiam, ut quidam exprobraverunt; calvitii vero deformitatem iniquissime ferret, saepe obtrectatorum jocis obnoxiam expertus. Ideoque et deficientem capillum revocare a vertice assuerat, et ex omnibus decretis sibi a Senatu populoque honoribus non aliud aut recepit aut usurpavit libentius quam jus laureae coronae perpetuo gestandae. Sunt haec verba Suetonii c. 45., quibus, quam vana sit ac futilis ista loci Horatiani de Julio Caesare interpretatio, satis evinci posse arbitror.

Sed haec hactenus. Revocanda enim est disputatio nostra ad id, cujus caussa, ut jam ab initio dictum est, omnem hanc scribendi provinciam suscepimus. Jam no-

minandi mihi sunt ac commendandi tres illi juvenes, qui, legitimum vitae scholasticae ac studiorum cursum insigni cum laude et fructu apud nos emensi, hac se ipsi religione obstrinxerunt, ut, priusquam in Academiam Lipsiensem abirent, Moldano, juventutis suae *γραμματοδιδασκαλείῳ*, orationibus publicis quasdam eruditionis primitias offerrent ac magistris pie valedicerent. Huic autem sollemni Actui, qui dicitur, Oratorio praestituimus diem XI. Aprilis, quo die illi inde ab hora ante meridiem nona de argumento, quod sibi quisque ad dicendum sumpsit, hoc ordine verba facient:

CAROLVS ALBERTVS DOBERENZ, *Pegaviensis*, Latine explicabit *caussas, quibus factum sit, ut Augusto imperante populus Romanus tranquillitatem ac salutem consequeretur.*

ALBERTVS GROETSCH, *Chemnitiensis*, odam *προτρεπτικὴν*, quam metro Alcaico Latine scripsit ad *Nicolaum, Russorum Αὐτοκράτορα fortiumque Polonorum Victorem*, recitabit;

HERRMANNVS AVGVSTVS SINTENIS, *Lipsiensis*, oratione Latina docebit, *Graecae et Romanae antiquitatis studium nostrorum temporum ratione magnopere commendari.*

Haec ubi a singulis cum gratiarum actione perorata fuerint, eos, traditis morum doctrinaeque testimoniis, brevi cum salutatione et admonitione ex nostra disciplina dimittam. Quo facto surget praeclarae indolis adolescens et Alumnorum ab hoc inde tempore Primus,

ANTONIVS EDVARDVS CLAVSS, *Lisnicensis*, et, recitato carmine, quod *de funestis Conradini fatis* patrio sermone composuit, amicis illis honorificum discessum gratulabitur prosperumque vitae academicae decursum apprecabitur.

His oratoribus ut ne desit auditorum frequentia, sicut optamus, ita omnes Musarum nostrarum amicos et fautores perofficiose ac reverenter invitamus. Scr. in Illustri apud Grimam Moldano ipsis Kalend. April. cIↄIↄcccxxxII.